



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

81. Sibertvs Sacerdos & Canonicus frequenter negligit Completorium;  
cuius tamen omissione vnum tantùm committit peccatum, nec tenetur  
duplicem horarum dicendarum titulum in confessione aperire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

aduenit Monasterio, ex cuius violatione compensatio eidem debeatur.

LXXXI. Suibertus Sacerdos & Canonicus totum Officium diuinum orare solet manè vsque ad Completorium, quod dein nullà iustà causà impeditus frequenter negligit. *Queritur. Vtrum hâc omiſsione duo peccata committat, & duplicem horarum dicendarum titulum aperire in Confessione debeat, de quo ipse dubitat?*

Videtur affirmandum. Ita Suarez Tom. 2. de Relig. l. 4. c. 18. num. 5. Fagundez de præcept. Eccles. Tr. 2. l. 4. c. 5. n. 23. Layman l. 4. Tr. 1. c. 4. in fine. vbi hanc sententiam vocat communem DD. & contrariam improbabilitatis arguit. Nam omnium vox & sensus est Beneficium dari propter officium, siue ex iustitia recitandum esse Officium. Ergo Suibertus non tantùm tenetur ratione Ordinis sacri, adeoque ex Obedientiæ virtute, sed etiam ex virtute iustitiæ, & consequenter omitendo notabilem officij diuini partem (qualis est Completorium) duo peccata committit, atque idèò vtrumque obligationis titulum exprimere in Confessione tenetur.

Resp. Suibertum omiſsione Completorii vnum tantùm committere peccatum, nec teneri duplicem horarum dicendarum titulum in Confessione aperire. Ita Homobonus, Henriquez, Gattias, quos refert & sequitur Diana P. 2. Tr. 12. Res. 22. & P. 4. Tr. 4. Res. 219. in fin.

*in fin.* Salas Tom. 2. Tr. 13. D. 3. s. 2. n. 17. Bonac. Tom. 1. de Horis Can. D. 1. q. 2. pun. 4. n. 27. Palao Tom. 2. Tr. 7. D. 2. p. 1. pa. 2. n. 29. & alij. Ratio est, quia multiplicantur hic præcepta solum materialiter; quippe non datur Beneficium Beneficiato titulo Iustitiæ, sed Religionis; præcipitur enim recitatio horarum Can. in laudem DEI, ut rectè Palao.

Atque ex his patet ad argumentum in contrarium; negatur enim dari Beneficium sub conditione officij; conceditur autem dari sub modo & onere. Patet quoque immeritò Laymanum hanc nostram sententiam communi Doctorum contrariam affirmasse, atque improbabilitatis damnasse, cum tanto magnorum Doctorum numero, & rationis momentonitatur.

LXXXII. Theonas operam suam locavit nobili cuidam ad arcem, quæ destructa erat, reparandam per integrum annum conventionem mercedis 100. florenorum. Nunc finito anno, & arce egregie reparata deceptum se advertit plus, quam dimidio pretij, adeoque 150. florenos labore & arte sua ad minimum se meruisse, quod sanctè affirmat Confessario petens ab ipso consilium. Queritur. An variari possit?

Videtur non posse. Ita nonnulli I. P. edo, quod contractus iam sit finitus, neque optio dari possit decepto vel rescindendi contractum, vel mercedem supplendi.

Pp 2

Resp.